



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

Bona, Giovanni

Antverpiae, 1677

§. 5. De Ritu Carthusianorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10805

§. V.

De ritu Carthusianorum.

1. SACROSANCTA Religio Carthusiana, licet in scæteris Benedicti Regulam non agnoscat, ritum tamen Benedictinum in divinis Officiis observat. Paucis exceptis vix discrepant à Cisterciensibus, quibus ferè coævi sunt. Cœpit enim Cistercium anno Domini 1098. Carthusia verò initium habuit anno 1086. ut putavit Baronius, vel 1084. ut ex monumentis Ordinis collegit in suo Brunone Theophylus Raynaudus. Ante Vigiliis dicunt *ter Pater & Ave*. Post ultimam Antiphonam Nocturni recitant semel *Pater, & Ave*, & Absolutionem. Post *Benedictus* dicunt novem vicibus *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison* cum multis precibus. Privatis diebus ad preces adjungunt Psalmum *Miserere*: quas preces repetunt singulis horis. In fine lectionum ex Prophetis addunt, *Hec dicit Dominus, Convertimini ad me, & salvi eritis*. Ad Vesperas psalmos mutant pro diversitate festivitatum. Ad primam dicunt quotidie Symbolum Athanasii. Ad salutationem Angelicam pulsant quater in die, post Matutinum, post Primam, post Nonam, post Completorium. Post Collectam dicto *Benedicamus Domino*, nihil aliud adjungere consueverunt. In reliquis, ut dixi, ferè conveniunt cum Cisterciensibus. Commendat eorum cantum Christus Salvator noster apud S. Brigitam c. 4. revelationum extravagantium: & Angelicam eorumdem psalmodiam elegantissimè collaudat Francisc. Petrarca in præfatione lib. de otio Religiosorum. Sunt autem reverà Carthusiani magna orbis miracula, in carne extra carnem viventes, Angelos nobis in terra, & Joannem Baptistam in Eremo representantes. Sunt præcipuum Ecclesiæ ornamentum, similes aquilæ in cœlum volanti, quorum status universarum religionum institutis jure præfertur. Pius quidam, & religiosus Poëta apud Maximilianum Sandæum 9 in sua mystica Theologia Cartusianorum vitam, & mores hoc eleganti Epigrammate mirabiliter expressit.

*Pallent em nuper rigidi Brunonis alumnus
Sic adit mundum linquere certus Odo.*

9 Sand. lib. 2. comment. 3. exercit. 2. disquisit. 6. r Bernard. Parthusius Epigr. 4. 5.

*Ede Pater, quæ Carthusiæ sit regula vitæ.
Quæ nox, quæve dies: quid fugiant, quid agant:
Ede quibus studiis hic vivitur. Ille tacendo
Fugit, & ingemuit. Non potuit melius.*

Historiam illam notissimam Theologi Parisiensis, qui post mortem tribus distinctis vicibus justè se accusatum, judicatum, & damnatum pronuntiavit; atque hujus Ordinis institutioni occasionem dedit, copiosissimè defendit Raynaudus supra citatus in suo Brunone, ubi plura de laudibus Cartusianorum Lector inveniet.

§. VI.

De ritu Præmonstratensium.

1. NULLA post Monachos Religiosarum Congregationum, quæ proprios ritus habeat, antiquior est Præmonstratensi, sumpsit enim originem hic sacer, & Canonicus ordo à sanctissimo patre Norberto anno salutis 1115. habuitque aliquando plusquam mille Abbatias. Eorum ritus cum Romanis conveniunt, si pauca quædam excipias. Et primò quidem ante Vigiliis nocturnas tres psalmos recitant cum quibusdam precibus, & orationibus. Deinde in ipsis Vigiliis ante Lectiones dicunt *Versum, & Orationem Dominicam*, sed non absolutiones. Post nonum Responsorium concinunt *Te Deum laudamus*: & ante Laudes unum *Versum* semper præmittunt, quem vocant *Sacerdotalem*. In primis Vesperis solemnissimum magnum Responsorium concinunt post Capitulum. Ad omnes horas diei Hymnos variant pro ratione, temporum & festivitatum. Antiphonam B. Virginis, quæ terminantur Horæ, non nisi post Completorium cantant. Psalterium more Romano in dies & horas distribuunt, nisi quod Psalmum 117. *Confitemini* à Septuagesima usque ad Pascha diebus Dominicis non ad primam, sed ad Laudes dicunt loco psalmi *Dominus regnavit*, quem eo tempore canunt ad primam. De reliquo tam diurnum, quàm nocturnum Officium eo methodo ordinant, quæ Romana consuevit Ecclesia: imò suum Breviarium esse existimant antiquum Romanum, quod purum ab ipsis conservatum sit, non acceptatis mutationibus, & novis ejusdem reformationibus.

XXXXX

§. VII. De